

partis honori et commodo viderint expedire. Si autem aliquis predictorum eidem arbitrio non potuerit interesse, ceteri alium pro eo, quem voluerint, eligant et assumant statuentes, ut eadem questio a futuro festo sancti Iohannis baptiste octave indictionis usque ad annum ad ultimum sit decisa, quidquid prefati arbitri de causa iam dicta tractaverint, statuerint  
 5 aut composuerint, ratum et stabile fideliter habituri. Ad cuius rei evidentiam presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Huius rei testes sunt: Frater H[ermannus] magister domus Theutonicorum. L[udovicus] et H[ermannus] comites de Vroburch. H[einricus] comes de Greiffesbach. G[ebehardus] de Arnstein. G[otfridus] de Hohenloh. O[tto] de Stuzzelingen et alii quam plures.

10 Acta sunt hec anno domini m̄cc̄xxiir, mense septembri, indictione viii; datum apud Montem Flasconis anno, mense et indictione prescriptis.

## 512.

*Papst Gregor IX. beauftragt den Bischof (Konrad) von Hildesheim und genannte Aebte, ihm die von dem Erzbischof von Mainz und dem Magister Konrad von Marburg angestellte Untersuchung über die  
 15 Wunder der Landgräfin Elisabeth von Thüringen zu übermachen, oder, wenn diese Untersuchung nicht mehr zur Hand sein sollte, eine neue anzustellen. Vergl. No. 474. Perugia, 1234 Okt. 11.*

*Hdschr.: Reg. 17 fol. 212<sup>b</sup> No. 244. Vatikan. Archiv.*

*Gedr.: Mon. Germ. Epp. Pont. 1,486. Pothast 9721. Böhmer-Ficker 7044.*

. . . episcopo Ildesemensi et . . . de Valle sancti Georgii et . . . Herveldensi abbatibus  
 20 Maguntine diocesis. Ne possimus argui, si lucernam dignam super candelabrum collocari detineri sub modio patiamur, presertim cum evidentibus inditiis de celo noscatur emittere multe radios claritatis, discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus inquisitionem, quam de miraculis beate recordationis Helysabeth langravie Turingie per venerabilem fratrem nostrum . . . archiepiscopum  
 25 Maguntinum et bone memorie Conradum de Marburch fieri mandavimus, nobis per solempnes nuntios, quorum committi meritis tanti excellentia negotii debeat, ad nostram presentiam infra quinque menses post susceptionem presentium destinetis. Verum si prefata inquisitio forte pre manibus non habetur, vos, habentes pre oculis divine reverentiam maiestatis, testes eosdem, quos dicti archiepiscopus et magister super ipsius E[lisabeth]  
 30 miraculis receperunt, aut alios, si habere poteritis, fide dignos, advocatis ad hoc viris prudentibus et in iure peritis, examinantes qua convenit sollicitudine diligenti, dicta eorum et seriem testimonii de verbo ad verbum in scriptis fideliter redigi faciatis, que ut instruamur de dono gratie, quam circa gratitudinis filiam videtur virtutum dominus effudisse, sub vestris ac prelatorum nec non religiosorum virorum sigillis infra dictorum mensium  
 35 spatium omni occasione postposita nobis mittere procuretis. Quod si non omnes etc. tu, frater episcope, cum eorum altero etc. Datum Perusii v. idus octobris, pontificatus nostri anno octavo.